

inde vestratisq; librarius noster tandem mihi eandem re-
vexit. Si apud me delituit, donec aura clementiore nunc
tibi offertur. Cetera ex filio meo cognosces, quem iterum
tibi consiliis, hortatibus, ubi opus erit, juvandum com-
mendo. Feliciter vale. Deus sanctis vestris laboribus
cumulatè benedicat. Heidelbergæ 25. Octobr. 1673.

164

Car. Davidi Pareo Johannes Piscator Sal.
Reverende et Clarissime Dne Doctor Paree, Domine.
Amice plurimum honorande. Quam hic Juvenis
Heidelbergam à nobis ad pleniorum Ingenii cultum
capiendum profecturus, mihi ut Praeceptoris valediceret.
rogavit me ut sibi aditum ad te patefacerem. Quod
officiam haud gravatim ei prestiti, nam ita probe
se apud nos gessit, ut dignus sit, qui omnibus bonis com-
mendetur. Nomen ei est Johannes Arnos, natione
Moravus; alumnus, ni fallor, fratrum, quos vocant.
Oro igitur, ut illum tibi habere velis commendatum.
Sed hæc hactenus. Ad mea studia quod attinet, nego-
tium mihi facessit Doctor Vorstius duobus libris con-
tra me scriptis; ad quem utrumq; jam respondi:
quem etiam utrumq; in proximo nundinis Franco-
furtensibus divulgatum iri spero. Utinam post hæc
mihi parceret, et iudicium de illis, quæ jam ab utroq;
scripta sunt, Christiano lectori permitteret. Sed
non audeo hoc sperare, quia in prefatione quadam
sua replicarum mentionem fecit. Replicet igitur
ille, quantum volet; nisi aliquid novi attulerit, quod
responsionem postulare videatur, labore isto super-
fedo et horas illas melius collocabo. Quod restat,
rogo ut filium quoque meum commendatum tibi ha-
beas. Ego vicissim grata officia, si qua possim,
tibi prestare sum paratus. Vale Herbornæ .13.
Junij 1673.

165

C. D. Pareo Raphael Lylinus Jonius Sal. ex An. Servator
Vir Reverendissime ac celeberrime, Domine et Pater
Venerande. Fecit infirmitas corporis, quæ minus
sequeretur